



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 32. Dionysii Simeonis de Marquemont Cardinalis fatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

cunda Augusti, nonnisi annos triginta Sæc. XVII.
& unum natus. Scripsit multa perele- A. C. 1626.
ganter tam soluta oratione tum ver-
sibus,

§. XXXII.

*Dionysii Simeonis de Marquemont
Cardinalis fatum.*

Postremus denique ex Cardinalibus, Friz in Gall.
qui hoc anno vitam cum Purpura Purp. Ciac.
exuerunt, erat Dionysius Simeon de in vit. Ur-
Marquemont natione Gallus, patria ban, VIII.
Parisius. Hic Jurisprudentiæ præ-
stantia sibi non modo Henrici IV. Re-
gis favorem, sed etiam varia Romanæ
Curie munia comparabat; præcipue
vero in Romana Rota per plures annos
Apostolici Auditoris officio functus,
utilissime Regni Gallici negotia procu-
rabat: unde a præfato Rege Floren-
tias pro conciliandis cum Maria Medi-
cea nuptiis decernebatur, postea a Lu-
dovico XIII. Galliarum Rege ad Lugdu-
nensem Sedem nominatus, in sua Diæ-
cesi Jesuitarum, Capucinorum, Carme-
litarum Discalceatorum, aliorumque
undecim Religiosorum Ordinum Mona-
stera instituit: demum a Rege Chri-
stianissimo ad Paulum V. & Urbanum
VIII. Pontifices in gravissimis negotiis
Legatus decernebatur, hocque in mu-
nere

Sæc. XVII. nere sua prudentia, doctrina, pietate, rerumque gerendarum dexteritate tantopere commendabilem reddidit, ut ab eodem Pontifice Urbano inter Presbyteros Cardinales cooptatus, variis Congregationibus præficeretur. Fuit Vir plane egregius & Ecclesiastici juris defensor accerrimus, pietatis exemplum, Ecclesiæ Decus & ornamentum, ac Pastor incomparabilis, in Regi suo addictus, ut dubium relinqueret, an Regi magis, quam Ecclesiæ faveret. Decessit tandem Romæ inter acutissimos stranguriæ cruciatibus die decima sexta Septembris anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, sepultus in æde Sanctissimæ Trinitatis Petrum Minimorum.

§. XXXIII.

Duodecim Cardinales ab Urbano VIII. Papa creati.

Theatr. Europ. p. 953. Ciacon. in vita Urbani VIII. p. 539. l

Ad initium hujus anni die decima nona Januarii Urbanus VIII. Pontifex Maximus duodecim Prælatos sacro Purpuratorum Collegio adscriptos ex quibus tamen duo eodem hoc anno purpuram, quam vix induerat, mortis invidia exuerunt, uti mox memoravimus. Creabantur autem Aloysius Caetanus patria Romanus,